



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 46. Jansenistarum molimina post promulgatam Innocentii X.
Constitutionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. „& cum omni submissione veneranda
A. C. 1653. „purpuras vestras maneo. „

§. XLVI.

*Jansenistarum molimina post promul-
 gatam Innocentii X. Con-
 stitutionem.*

*Hist. des
 cinq. Prop.
 de Jans. l. c.
 Diar. S. A-
 mour. Jan-
 senis. Hist.
 brev.*

Quamvis Jansenistæ quinque propo-
 sitiones illas velut genuinam Jan-
 senii doctrinam, paulo ante propugna-
 sent, ac propterea earum damnatio-
 nem toto nisu impedire studuissent, moti
 tamen ubi Innocentii X. Bullam non modo
 in Galliis, sed & in omnibus ferme Re-
 gnis & Provinciis promulgatam, re-
 ceptamque fuisse compererant, ut ean-
 dem Constitutionem, quam nec palam
 impugnare audebant, nec ei sese sincere
 submittere, decorum censebant, variis
 saltem effugiis cavillationibus, &
 versutiis eluderent, studiose quamplu-
 rimis in vulgus sparsis libellis demo-
 strare nitebantur, quinque harum pro-
 positionum doctrinam non esse doctri-
 nam Jansenii, nec eas etiam damnatas
 fuisse in sensu Jansenii, neque in hoc
 sensu a Papa eas damnari potuisse, eo
 quod ea sit quæstio facti, quam nec
 Pontifex, nec ipsa Ecclesia definire pos-
 set: inde autem ortum traxit contro-
 versia de infallibilitate Pontificis, &
 sua

fucata illa distinctio *juris & facti*, quæ Sæc. XVII. a Jansenistis optatissimus, & tutissimus A. C. 1653. naufragis conscientiiis portus appellatur, potiori autem jure omnium turbarum, quibus Ecclesia per plusquam quinquaginta annos jactabatur, origo ac seminarium esset vocanda. Fatebantur tamen ex ipsis Franciæ Jansenistis nonnulli, quod quinque propositiones in sensu Calvinii a Papa damnatæ non fuissent, partim quod prima & tertia a Calvinii *omne* meritum excludentis, & *omnia* præcepta quibuscunque esse impossibilia docentis mente alienæ essent, partim quod ipsimet Jansenistæ has propositiones tanquam *ex Jansenio* extractas examinari, atque in ejus sensu a Pontifice proscribi petierint, nec necessaria fuisset adeo operosa biennii discussio sensus Calviniani jam antea a Tridentino Concilio damnati, & de quo tunc nulla mota fuisset quæstio, nec ejusdem error a quopiam Jansenista propugnatus. Immerito etiam querebantur alii, quod Pontificis Constitutione nullatenus pax Ecclesiæ fuerit reddita, sed inde nova dissidia & altercationes fuerint exortæ; ipsas enim Nicænæ, Ephesinæ, Chalcedonenfis, & Tridentiæ Synodi definitiones tanquam inutiles & nocivas explodere debuissent, cum pariter ex damnatis

Sæc. XVII. hisce erroribus seu potius ex sectariorum pertinacia novi tumultus fuissent progerminati.

§. XLVII.

Franciae Præfulum consultatio contra Jansenistarum effugia.

Argentre collect. Jud. t. 3. p. 277. Recueil pag. 117. Relat. Cler. Gall. pag. 8. edit. 1661.

Ex hisce Jansenistarum scriptis ac sermonibus Franciae Præfules haud obscure cognoverant, quod illi excogitata sua distinctione nonnisi aliorum oculis fucum facere, Pontificiæ censuræ auctoritatem evertere, & Jansenianæ doctrinæ a Papa damnatæ, quam tueri cæperant, ulterius adhærere intenderent: Ut igitur Præfules Gallicani hisce Jansenistarum molitionibus tempestive remedium opponerent, quot tum Parisiis agebant, ad diem octavam Martii Conventum celebrarunt, quid in periculosa hac rerum vicissitudine agendum, deliberaturi. Præprimis igitur Marmiesus Abbas Cleri Gallicani Procurator, ac postea Conferanensis Episcopus congregatis Præfulibus exposuit, quod Jansenistæ ad eludendum obsequium, quod oretenus Pontificiæ Constitutioni antea sponserant, dissent, palam propugnarent, quod quidem in quinque hisce propositionibus doctrina ab Ecclesia sit infallibiliter